



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICALUANDENSIS

(CARMONENSIS-SOTEROPOLITANAE) * DISTRACTIS QUIBUSDAM TERRITORIIS EX ARCHIDIOECESI LUANDENSI,

NOVA EFFICITUR DIOECESIS, NOMINE «CARMONENSIS-SOTEROPOLITANA». Apostolico officio, quod Nobis divinitus commissum est, perquam diligenter fungi studentes, in id peculiari sedulitate incumbimus quandoque ut, ad aptius fidelium necessitatibus consulendum, novas in Ecclesia dioeceses constituamus. Qua de re, quoniam venerabilis Frater Maximilianus de Fustenberg, Archiepiscopus titulo Paltenus et in Lusitania Apostolicus Nuntius, censuit posse in Angola provincia novam ecclesiasticam circumscriptionem condi idque, iuxta sollemnes conventiones inter Sanctam Sedem et Lusitanam Rempublicam die septimo mensis maii anno millesimo nongentesimo quadragesimo initas et die primo mensis iunii eiusdem anni ratas habitas, ut fieret ab Apostolica Sede enixe petiit, precibus Nos, post auditum hoc super negotio venerabilem Fratrem Emmanuelem Nunes Gabriel, Archiepiscopum Luandensem, cuius idem negotium intererat, accedendum esse putavimus atque suprema potestate Nostra sequentia decernimus. A territorio archidioecesis Luandensis integros districtus civiles distrahimus, qui vulgo Uije et Zaire appellantur, iisque novam dioecesim condimus, *Carmonensem-Soteropolitanam* appellandam iisdemque finibus circumscribendam ac districtus, quos diximus. Constitutae dioecesis sedes in urbe vulgo Carmona erit, episcopalis autem magisterii cathedra, in templo eadem in urbe exstante, Deo dicato in honorem Beatae Mariae Virginis Immaculatae, quod ad cathedralis gradum attollimus, congruis iuribus concessis. Episcopo autem, praeterquam quod iusta privilegia damus, officia etiam imponimus, legibus canonicis praescripta. Decernimus praeterea ut Ecclesia Carmonensis-Soteropolitana suffraganea sit Luandensi metropolitanae Sedi; itemque ut eius dioecesis Episcopus Luandensi Metropolitanae ad normam iuris canonici subdatur. Ad Canonicorum collegium quod attinet statuimus ut, quoadusque id condi non possit, Consultores dioecesani deligantur, a munere scilicet cessaturi Canonicis constitutis. Mensa episcopalis, quae dicitur, fiet dote a civili potestate danda, Curiae emolumentis, fidelium pecuniis sponte datis eorumque bonorum parte, quae novae Sedi obveniet iuxta canonem 1500 Codicis Iuris Canonici. Quod ad clerum attinet praecipimus ut, his Litteris ad effectum adductis, sacerdotes ei Ecclesiae addicantur in cuius territorio beneficium vel officium habeant; ceteri autem clerici Seminarii tirones ei, in qua legitimum domicilium habeant. De struendo insuper Seminario alumnorumque formatione et educatione serventur praescripta iuris communis, prae oculis etiam

habitis normis decreti Concilii Vaticani II «Optatam totius» atque peculiaribus regulis Sacrae Congregationis de Seminariis Studiorumque Universitatibus. Ad regimen denique dioecesis quod spectat, cleri et populi iura, electionem Vicarii Capitularis, sede vacante, aliaque huiusmodi adamussim serventur praescripta Codicis Iuris Canonici. Acta et documenta, dioecesim Carmonensem-Soteropolitanam respicientia, ab archiepiscopali Luandensi Curia ad novae Ecclesiae Curiam transferantur, in tabulario religiose custodienda. Haec omnia quae praescripsimus ut ad effectum adducantur curet venerabilis Frater Maximilianus de Furstenberg, quem diximus, vel ab eo delegatus sacerdos. Qui vero negotium perfecerit congrua documenta, de more signata sigilloque impressa, ad Sacram Congregationem Consistorialem mittat quam primum potuerit.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quartodecimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri quarto.

<p><i>Pro S. R. E. Cancellarius</i> HAMLETUS I. Card. CICOGNANI <i>a publicis Ecclesiae negotiis</i></p>	<p>CAROLUS Card. CONFALONIERI <i>S. Congr. Consist. Pro-Praefectus</i></p>
--	---

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Ioannes Calleri, Protonot. Apost.

Eugenius Sevi, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LIX (1967), n. 8, pp. 536-538 © Copyright 1967 - Libreria Editrice Vaticana